

## VII.

Multò minùs connivendum est, si qui sibi falsò persuadent, se salvos fore, qualicumq; tandem mentis assensu credant, Christum esse Servatorem (Nam & Dæmones credunt DEUM esse, & horrescunt. Jacob. 2. 19. Nec de sum, qui profitentur se DEUM scire, quem factis negant. Tit. 1. 16.) sed oportet in super per cordis, ac voluntatis nostræ immutationem, ex efficaci tractu cœlestis Patris Christo ita nos inseri, ut simus in illo, qui verax est, ideòq; in luce ambulemus, sicut ipse est in luce. 1. Joan. 1. 2. & cap. 5. 20.

## VIII.

Itaq; hæc demum vera illa justificans, & salvifica fides est, quæ per Spiritum Sanctum ex verbo Dei concepta, nobisq; indita, non inhæret soli menti, sive intellectui: sed fiduciam in converso corde parit, & voluntatem nostram in obsequium Spiritus trahit; quippe salutarem illam Evangelii in nobis efficiens pœnitentiam, & per charitatem operans, non verbo & linguâ, sed opere & veritate, 1. Johan. 3. 18. Quo sensu Apostolus fidem per charitatem *ἐνεργεμένην* exigit, hoc est, non tantum vivam actu primo, sed etiam operativam, quo ad actum exercitum, sive secundum, ut Spiritus prævaleat carni. Gal. 5. 6.

## IX.

Sola enim hæc vera illa Plerophoria est, quâ cor nostrum nos nõ condemnat, quâq; Dominum JESUM, cum omnibus ejus beneficiis, ad salutem requisitis, sic apprehendimus, ut per & propter ipsum non solum justificemur in conspectu Dei, *absoluti ab omnibus peccatis, & ab omni eo, à quo per legem Moysi absolvi non poteramus*, Act. 13. 38. 39. (nam in Christo, qui caput nostrum est, sumus & habitu & actu nobis imputato, plene consummati, ac perfecti. Coloss. 2. 10.) sed etiam ita ipsi implantamur, ut cum eo coalescamus, & conformemur ad ipsius imaginem, radicati, & fundati in charitate, & de facto jam Spiritu actiones corporis mortificantes. Rom. 6. 5. & cap. 8. 13. 29. Ephes. 3. 17. 18.

## X.

Quamvis enim constitutis sub gratiâ (ut clarè docet Apostolus, Rom. 6. 14.) peccatum dominari nequit, nempe totaliter eis prævalendo, omnemq; *υποθεσίαν* Spiritum penitus in eis abolendo (semper enim lignum fumigans per DEI gratiam remanet, quod non extinguitur; nec

A 3. calamus.